

*vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Dubitatur an objectum formale fidei thesi superiore assignatum sufficiat pro veritatibus decretoriis et promissoriis; communis sententia affirmat contra aliquos (1), qui volunt: a) objectum formale pro decretoriis esse immutabilitatem seu constantiam Dei in suis decretis cum veracitate, praecisa veritate in cognoscendo; b) objectum formale pro promissoriis esse fidelitatem una cum omnipotentia Dei.

Prob. In veritatibus promissoriis et decretoriis Deus asserit se aliquid certo facturum vel daturum. Sed in iis posset dari dubium si Deus non esset prima veritas in cognoscendo et prima veritas in dicendo; nullum vero si Deus talis est. Ergo Deum esse primam veritatem in cognoscendo et dicendo sufficit, etc. *Min.* prob. Quoad primam partem, quia aliter posset Deus vel promittere vel decernere quod nesciret an posset promittere vel facere; et praeterea posset fingere se decernere vel promittere. Probatur quoad secundam partem, quia si Deus est summe verus in cognoscendo non promittet vel decernet nisi quae praescit se velle dare et posse facere, et si est summe verus in dicendo ipso suo testimonio reddet nos certos de voluntate sua standi promissis et non mutandi decreta. Ergo summa veritas Dei in cognoscendo et dicendo sufficit ut veritates promissorias et decretorias revelatas firmissime teneamus.

Acute P. Mayr (2) observat in hac materia, fidelitatem Dei, omnipotentiam, constantiam potius se habere tamquam objectum materiale quam formale respectu assensus fidei. Deus enim eo ipso quod revelat aliquid se facturum, revelat suum decretum immutabile; imo etiam revelat omnipotentiam suam seu revelat se posse omnia, quae promittit vel praedicat.

43. Obj. 1.<sup>o</sup> Ecclesiasticus ait (3): *Qui credit cito levis corde est.* S. Joannes monet fideles (4): *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* Et S. Paulus (5): *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Sed talis probatio debet fieri per rationem, non per fidem nisi in infinitum instituat processus. Ergo ultima ratio credendi non est auctoritas divina.

Resp. Testimonium Ecclesiastici est de fide humana, sed adhuc intellectum, ut alia testimonia intelligenda sunt, de fide divina revelata explico distinctione; non cito credatis, probate, etc., ad prudenter discernendam propositionem verae fidei a propositione falsae fidei; conc. Post rationabilem et sufficientem propositionem verae fidei; neg. *Min.* pariter dist. Fit per rationem quoad discernendam veram propositionem a falsa propositione fidei; conc. Quoad ipsam veritatem rei propositae; neg. Veritas revelata solum propter testimonium divinum creditur.

(1) Ripalda De fide. D. 2, n. 74; Viva. De fide. D. 1, a. 4, n. 16.—  
(2) Theolog. Schol. tr. VII.—(3) XIX, 4.—(4) I.<sup>a</sup>, IV, 1.—(5) I.<sup>a</sup> Thessal. V, 21.

Obj. 2.<sup>o</sup> Qui credit quod ratio non capit imprudenter agit: ergo ratio humana debet esse motivum fidei.

Resp. Dist. *antec.* Si id quod credit, non aliunde in alio appareat verum; conc. Si in alio appareat verum; neg. Licet res in se praecise spectata nobis appareat nec vera nec falsa, dummodo in alio, scilicet testimonio fideli appareat vera, eam prudentissime credimus: alias minus docti nunquam possent credere quae audiunt a doctioribus, quorum sententias non capiunt.

Obj. 3.<sup>o</sup> Deus est summe verax, summe sapiens quia est Deus; adimplet promissa, exequitur sua decreta, quia est fidelis, omnipotens et immutabilis. Ergo Deitas est ultima ratio credendi, et fidelitas, omnipotentia, immutabilitas sunt objecta formalia in revelatis promissoriis et decretoriis.

Resp. Utramque partem *antecedentis* dist. Quia est Deus, quia est fidelis etc. virtualiter et radicaliter; conc. Formaliter ut motivum credendi; neg. Cum enim prima veritas revelans sit per se ipsam necessario connexa cum veritate objecti revelati, movet ad assensum praecise per se ipsam sic, ut aequae et eodem modo ac nunc motura esset, quamvis per impossibile Deo non competeret ab intrinseco ratione deitatis, sed ab extrinseco v. g. ratione decreti immutabilis nunquam mentiendi. Declaratur hoc ex objecto visus; est enim coloratum objectum formale visus, quatenus colorem habet, habet autem colorem (juxta antiquos) quia habet talem mixturem primarum qualitatum, et nihilominus haec mixtio primarum qualitatum non pertinet ad objectum formale visus, sed est radix illius. Sic Deus est summa veritas in cognoscendo et dicendo quia est Deus, non tamen ei credimus praecise quia est Deus, sed quia cum sit Deus non fallitur nec fallere potest: pariter Deus stat promissis, indefectibiliter sua exequitur decreta, quia est fidelis, omnipotens, immutabilis, sed cum revelat se aliquid promittere, aliquid decernere, ei credimus, quia suae infinitae perfectioni debet haec revelare conformiter et non aliter ac postulant sua fidelitas, omnipotentia et immutabilitas (1).

Obj. 4.<sup>o</sup> Fides nostra dicitur divina a deitate; si enim aliud subjectum a Deo distinctum esset etiam summe sapiens et verax assensus illius revelationibus praestitus non diceretur fides divina; ergo deitas tamquam ratio distinctiva fidei divinae, erit objectum formale fidei.

Resp. Dist. *antec.* Dicitur divina a deitate tamquam a ratione specificante subjectum in quo est auctoritas; conc. Tamquam a ratione ipsa motiva fidei; neg. Probationem dist. Assensus tali praestitus non diceretur fides divina ex defectu subjecti divini; conc. Ex defectu ipsius rationis motivae ad fidem divinam; neg. Caeterum quando agitur de fide divina ejus formale objectum non est sapientia et veracitas in genere sed sapientia et veracitas Dei.

(1) V. Platelli. Synops. De fide, n. 8.



## THESIS V.

Revelatio objectiva tum ut externa, tum ut interna constituit una cum divina auctoritate objectum formale adaequatum fidei (1).

44. *Nota.* I. Revelatio ipsa vi nominis, ut observavit S. Hieronymus (2), idem est ac remove velum, unde in genere est quaevis manifestatio rei occulta. Res potest manere occulta vel ex parte sua, quatenus ipsa tegitur et non illuminatur; vel ex parte subjecti cognoscentis, ut caecus, qui non videt colores propter visus defectum; vel ex utraque parte. Revelatio dicitur objectiva si rem credendam aperit et detegit; subjectiva si tollit improportionem potentiae naturalis ad res fidei credendas: non est stricte revelatio, cum fiat infundendo lumen fidei seu habitum fidei vel aliquod auxilium transiens, quo possit fidei assensus elici, non quo res credendae illuminentur et magis declarentur. Revelatio objectiva sumpta late et improprie est productio signi naturalis, aut positio cujusvis actionis naturaliter ducentis in cognitionem alterius. Hac ratione Deus revelat se ipsum in productione creaturarum. Stricte et proprie sumitur pro loquutione Dei. De essentia autem loquutionis in genere est, ait Lugo (3), non solum, «quod per illam qui loquitur, aperiat »audienti rem dictam, sed etiam quod obiter manifestet conceptum »internum, quem habet de illo objecto.» Aliter, quod nemo dicit nisi metaphorice, Deus caelorum pulchritudine nobiscum loqueretur et gloriam suam enarraret. «Requiritur ergo, pergit Lugo »post alia exempla, quod signum loquutionis ordinetur per se et »immediate ad manifestandam alicui mentem loquentis... Unde »obiter infero, revelationem latius patere quam loquutionem Dei: »nam quae homo cognosceret per scientiam infusam, aliquo modo »diceretur scire per revelationem; non tamen esset loquutio, quia »Deus non ordinat immediate illam scientiam ad manifestandam »suam mentem.» Revelatio igitur stricte et proprie in hac materia de fide erit: manifestatio seu productio alicujus signi externi, quo Deus ex instituto et beneplacito suo velit creaturis divinos suos conceptus significare. Quod vero ad fidem requiratur revelatio, quae sit loquutio, breviter idem de Lugo (l. c.) probat, quia fides «fundatur in veracitate Dei: non est autem veracitas, nisi in »loquutione: requiritur ergo ad actum fidei, quod Deus ipsi cre-

(1) In hac thesi tamquam in proprio loco complebuntur et magis declarabuntur, quae de iis occasione explicandae revelationis (V. I, Disquis. II, nn. 34-43) alibi praelibata sunt. — (2) In Gal. I. — (3) De fide, D. I, n. 197.

»denti, vel alteri loquutus fuerit mediate, vel immediate; dicimus »tamen communiter revelationem esse objectum formale fidei, quia »loquimur de revelatione non in tota sua latitudine, sed prout con- »vertitur cum testificatione.»

II. Dividitur revelatio objectiva in activam, quae dicitur interna, et passivam, quae vocatur externa; prima sunt actus interni divini intellectus et divinae voluntatis, quibus signum externum producit Deus ad suum conceptum de aliquo objecto manifestandum; secunda est ipsa positio signi externi, quo Deus suum conceptum de re aliqua manifestat. Complexus utriusque revelationis internae et externae efficit revelationem, quam completam aliqui vocant. Ulterius dividitur revelatio in immediatam, si Deus sine intermedio alicujus creaturae rationalis suos conceptus alteri manifestet; et mediatam, si per hominem vel angelum alteri suam mentem aperiat. Immediata est intellectualis, si Deus loquatur movendo immediate intellectum per signa spiritualia; imaginaria si per imaginationem, imprimendo scilicet in phantasia illa signa, quibus intellectus ad veritatem revelatam cognoscendam perducatur; est sensitiva, si Deus immediate moveat sensus externos per signa materialia.

III. Plures, quas recenset Ripalda (1), sunt hac in re sententiae theologorum. Communiter rejiciuntur illi auctores, qui: a) vel negant, ut Toletus (2), revelationem esse objectum formale fidei, volunt enim solum esse conditionem, sicut explicatio magistri est conditio, non causa scientiae discipulorum; b) vel qui, cum id negant, simul asserunt, ut Bannez, lumen fidei seu habitum fidei esse motivum et rationem credendi. Sunt denique qui negent revelationem internam pertinere ad objectum formale, et contendunt eam solum esse aliquid praeivium quod praesupponatur (3).

45. I.<sup>a</sup> Pars. Constituit objectum formale fidei revelatio externa. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex testimoniis sacrae Scripturae adductis superiori thesi (n. 40, prob. 2.<sup>o</sup>), quae dum docent testimonium Dei esse formale motivum fidei non solum loquuntur de verbo interno, sed etiam de externo, cum dicatur esse verbum Dei, testimonium Dei praedicatio Christi et apostolorum. Confirm.

(1) De virt. theolog. D. 2, sect. 2.—(2) In 2, 2, Q. 1, a. 1.—(3) Juxta hanc sententiam obiter loquitur P. Casajoana vol. 1, Disq. II, n. 43, sed quia in suis adnotationibus ad PP. Wirceburgenses, qui sententiam theseos propugnant, eos non reprehendit, ut facit quando ab eis dissentit, malo non intelligere exclusive ea, quae loco citato dicit, et addo actus internos Dei non esse considerandos separatos a revelatione externa, quam efficiunt.



S. Joannes in sua prima epistola (V. 9, 10) ait: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est... Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* Sed in primis verbis fit comparatio ad testimonium hominis, quod consistit in verbo externo; in postremis dicitur, testimonium Dei fieri mendax a non credente, quod non nisi verbo externo convenire potest. Ergo...

2.º Cum Patribus; S. Augustinus ait: «Non sufficit fidelibus si credant in testimonium Joannis, sed necessarium esse credere in testimonium Dei.» In Joann. tract. 23. S. Athanasius: «Oportet rationem istarum rerum petere ex revelatione divina et caelesti.» Orat. *quod unus sit Christus*, ubi addit «fideles non habere humilem aliquam rationem, ut credant, sed sublimem. scilicet attestationem Dei.» S. Ambrosius dicit: «Patrem in voce descendisse ad Filium, quia fides audita Patris voce, credit.» Serm. 21, *de Epiphan.*

3.º Revelatio externa connectit objectum revelatum cum summa Dei in attestando auctoritate. Sed quod ita connectit est etiam objectum formale fidei. Ergo... *Maj.* prob. Nam, sublata revelatione externa nulla manet nec concipitur connexio inter objectum, quod credimus et summam Dei in attestando auctoritatem, ita ut propter hanc possimus revelato objecto firmissime assentiri. Jam *minor.* prob. Si summa Dei in attestando auctoritas unice et independentem ab ejus connexione cum revelatione externa esset motivum formale credendi, tunc quaecumque tandem esset ea connexio, semper daretur idem motivum assentiendi objectis revelatis; summa enim Dei auctoritas invariabilis est. Atqui non ita accidit, nam si objectum revelatum solum connectatur probabiliter cum summa Dei auctoritate, haec non nisi probabiliter movebit ad assensum. Ergo...

4.º Auctoritate S. Thomae, qui jam in primo art. de fide (1) ait: «Non enim fides de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum,» ubi revelationem prout cognitam seu externam ingredi facit objectum formale fidei. Clarius infra habet (2): «Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris et doctrina Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima.»

46. II.ª Pars. Etiam revelatio interna. Prob. 1.º Revelatio externa ingreditur motivum formale fidei, quia summam Dei in attestando auctoritatem connectit cum objecto credendo v. g.

(1) 2, 2, Q. 1.—(2) 2, 2, Q. 5, a. 3.

Verbum est incarnatum. Atqui non connectit nisi simul et dependenter ab interna. Ergo... *Min.* prob. Revelatio externa nude sumpta independentem ab interna est de se indifferens et indeterminata ad exprimentam summam Dei auctoritatem, seu ad esse signum loquutionis menti divinae conformis; nam signa externa de se sunt indifferentia ad conceptus Dei vel creaturae intelligentis significandos. Ergo nisi constet revelationem externam esse signum mentis divinae, ipsa sola non connectet, etc.

2.º Humanae loquutioni nemo sanus credit, nisi sit deliberata i. e. ab intellectu et voluntate procedens. Quis enim credit ebrioso et somnianti licet verum materialiter dicat? Ergo eodem modo de revelatione divina judicandum est.

47. III.ª Pars. Auctoritas divina et revelatio completa constituunt objectum formale adaequatum fidei. Prob. 1.º Concil. Vaticanum (1) nihil aliud assignat tamquam objectum formale fidei quam «auctoritatem Dei revelantis,» seu hanc habet ut adaequatum objectum formale fidei; si enim aliquid aliud moveret formaliter ad fidem non omisset concilium, cum ex professo genesim et motiva fidei exponere sibi proposuerit. Sed auctoritas Dei revelantis constituitur ex auctoritate, et ex revelatione, quam debere esse completam ex prima et secunda parte jam constat. Ergo...

2.º Quia nullum aliud objectum est necessarium, ubi enim constiterit Deum interposita summa sua auctoritate aliquid revelasse v. g. Verbum esse incarnatum, jam potest et debet mens veritati propositae firmissime adhaerere. Ergo praeter auctoritatem et revelationem, etc. Confr. Si quid aliud praeter auctoritatem Dei et revelationem posset esse objectum formale fidei esset lumen fidei seu habitus fidei. Sed lumen fidei seu habitus nequit esse objectum formale. Ergo... *Min.* prob. Quia talis habitus seu Deus illum infundens non se tenet ex parte objecti, sed ex parte principii efficientis actum fidei. Atqui objectum formale debet se tenere ex parte objecti, cum debeat movere ad assentiendum ipsi objecto materiali, quod nullatenus lumini fidei convenit. Ergo...

48. Obj. 1.º Fides est virtus theologica. Sed virtus theologica debet habere pro objecto formali aliquod attributum divinum, quale non est revelatio externa. Ergo...

Resp. Dist. *min.* Debet habere exclusive et tantum seu adaequate; neg. Inadaequate et principaliter; conc. Ut detur virtus theologica sufficit Deum habere pro objecto materiali primario et aliquam rationem increatam pro formali principali; ita ut ratio creata

(1) Const. *de fide*, cap. 3, et can. 2, de fide.



non moveat nisi prout annexa increatae et ab ea extrinsece informata, ut contingit in revelatione, quae non movet ad assensum fidei, nisi prout extrinsece informata actu veraci voluntatis divinae, a quo procedit, et actu essentialiter vero divini intellectus cuius loco substituitur (1).

Obj. 2.<sup>o</sup> Ita se habet revelatio externa ad objectum credendum, sicut lumen intellectus agentis ad objecta naturaliter cognoscibilia. Sed lumen intellectus agentis non est objectum formale omnium cognitionum intellectualium; alias, omnes scientiae essent unius speciei. Ergo neque in praesenti id sufficit ut Deus quatenus revelans sit objectum formale fidei. Item Deus revelans est ut praeceptor, qui non dicitur constituere formale objectum. Ergo.

Resp. Neg. paritatem; etenim lumen intellectus agentis non est ratio objectiva, sed est principium efficiens cognitionem. Secunda comparatio etiam non est ad rem, quia praeceptor non est ratio credendi quod docet, sed est proponens, applicans et explicans rationem credendi; nam si discipuli aliqua credant ex solo testimonio praeceptoris, in illis non solum se habet ut praeceptor, sed etiam ut testis et est ratio credendi; ita ergo se habet Deus in fide non solum ut praeceptor, sed simul ut testis, cui credendum est formaliter propter suum testimonium (2).

Obj. 3.<sup>o</sup> Si quis internam Dei revelationem perspiceret, solum propter hanc jam posset revelatis veritatibus assentiri. Ergo revelatio externa non est motivum, sed tantum conditio sine qua non credendi.

Resp. Conc. *antec.* et neg. *conseq.* Quia de facto cum Deus non manifestet nobis revelationem internam nisi per externam, ambae requiruntur ut efficiant revelationem completam seu aptam ad extorquendum firmissimum assensum fidei.

Obj. 4.<sup>o</sup> Promulgatio legis non est de essentia legis. Sed revelatio externa se habet ut promulgatio legis respectu divinae auctoritatis. Ergo revelatio externa est conditio ut innotescant mens et auctoritas divina, non motivum credendi.

Resp. Trans. *maj.* quam graves auctores negant. *Min.* dist. Se habet ut promulgatio, ita tamen ut connectat divinam auctoritatem cum objecto revelato; conc. Ita ut non connectat divinam auctoritatem etc. neg. Jam vero haec connexio, quae re vera est motivum formale, non aliter existere potest quam per loquutionem (3).

Obj. 5.<sup>o</sup> Formalis ratio credendi est revelatio. Atqui revelatio fit infusione luminis fidei; quo veritates credendae manifestantur. Ergo...

(1) V. Platelli. De fide, n. 15.—(2) Suarez. de fide. D. 3, sect. 2, nn. 4, 8.—(3) nn. 44, not. 1; 46.

Resp. Dist. *maj.* Ratio credendi est revelatio objective sumpta; conc. Subjective sumpta; neg. *Min.* dist. Lumine fidei manifestantur veritates effective; conc. Objective; [neg. Lumen enim seu habitus fidei non est proprie revelatio credendorum, sed solum improprie quatenus intellectum reddit proxime et complete aptum et ex parte sua expeditum ad credendum (1).

#### THESIS VI.

Dei auctoritas et revelatio debent credi fide divina ad hoc ut constituent objectum formale fidei.

49. Nota. I. Ex dictis in thesibus praecedentibus constat, rationem formalem assentiendi v. g. mysterio sanctissimae Trinitatis esse divinam auctoritatem divinamque revelationem, sed si ulterius iquaeritur, cur divinae auctoritati et revelationi credimus, gravis; ut alibi dictum est (2), oritur difficultas: etenim summa Dei infallibilitas et veracitas nobis innotescunt lumine naturali rationis et supernaturali ipsius fidei revelatae. *Est autem Deus verax* scribebat Apostolus ad Romanos (3). Revelatio vero non tantum se ipsam manifestat, sed motiva credibilitatis (4) eam moraliter certam ostendunt. Age jam, si propositae quaestioni respondes, te ultimo assentiri divinae auctoritati et revelationi propter rationes evidentes, quae utramque commonstrant, assensus fidei non erit certior ac est evidentia illarum rationum; si respondes, te assentiri ipsa fide committitur circulus vitiosus a quo non est exire. «Hoc est, ait Suarius (5), magnum fidei mysterium, »quod licet non videat clare objectum, neque res creditas, nihilo- »minus non accipiat objectum suum, ut in illo per se nitatur, tam- »quam cognitum per aliud lumen, sed sua virtute et efficacia cre- »dat illud.»

II. Plures sunt excogitatae sententiae ad hanc quaestionem resolvendam, quas videas apud auctores (6); hic solum tres recensemus: 1.<sup>a</sup> Illorum, qui sustinent, nos assentiri primae veritati propter se ipsam, quia cognitis divina auctoritate ex intrinsecis rationibus, atque divina revelatione ex signis, non propter has rationes aut haec signa, sed unice in obsequium primae veritatis, imperante voluntate, ad assensum fidei determinamur (7). Haec sententia non

(1) Platelli. De fide, n. 5.—(2) Vol. I. Disq. II. De Relig. revel. nn. 59-71 ubi de hac difficultate fuit sermo: ibi dicta, hic tamquam in proprio loco, complenda et in clariori luce reponenda sunt.—(3) III, 4.—(4) Vol. I. Disq. II. n. 46.—(5) De fide. D. 3, sect. 7, n. 8.—(6) Suar. De fide. D. 3, sect. 6 et seq. 12; Lugo. D. 1, sect. 6; Ripalda. De fide. D. 3, sect. 3.—(7) Inter modernos ita opinatur Em. Card. Mazella. De virtut. infus. nn. 799-821.



solvit nodum sed praecidit, nec satis in ea intelligitur quomodo divina auctoritas et revelatio sint objecta specificativa illius assensus, qui unice imperatur in obsequium primae veritatis, et non elicitur proxime et immediate propter ipsam primam veritatem (1). 2.<sup>a</sup> Est Lugonis (2), qui vult, Deum esse veracem a nobis cognosci in resolutione fidei ex ipsis terminis eo modo, quo naturaliter cognoscitur, non tamen eodem lumine nec eadem firmitate, sed lumine fidei supernaturali elevante illum assensum, alias naturalem, ad statum supernaturalem et ad illum certitudinis gradum, quem postulat assensus fidei super omnes naturales certissimus. Similiter Deum aliquid revelasse ait esse iudicium immediatum et ex apprehensione terminorum, sicut solent esse assensus primorum principiorum: non tamen esse assensum evidentem, sed obscurum, licet certum et supernaturalem, elicatumque ab habitu fidei, tamquam primum etiam principium ejusdem fidei. Ad iudicium immediatum revelationis factae pervenit mens ope motivorum credibilitatis (3). Sequuntur Lugonem plures insignes theologi ut Amicus, Haunoldus, Pallavicinus, Ripalda, etc. ex modernis Cardin. Franzelin et Hurter (Comp. theol. tom. I, n. 644). Eam censet Ripalda (D. 3, n. 45) «tanto viro maximoque ejus ingenio, et maturo iudicio dignam; quia difficultatem hucusque tenebris offusam illustriorem reddit et ejus duritiem prae caeteris emollit.» 3.<sup>a</sup> Est Suarii, qui fundamentum sumens ex D. Thoma (2, 2, Q. I, a. 1) docente, nihil aliud quam testimonium primae veritatis esse objectum formale fidei, nam si concursus fidei humanae esset per se necessarius ad assensum fidei, jam non solum testimonium divinum, sed simul cum humano esse objectum formale, seu ratio credendi, propugnat, nos assentiri revelationi et auctoritati ipsa divina fide certissime licet obscure. Plures sequuntur hanc sententiam. Viva (De fide,

(1) Vol. I. Disq. II, de Relig. revel. nn. 60-67. — (2) D. I, nn. 81-84, 99... —

(3) Pulcherrima comparatione rem illustrat ipse Lugo (D. I, n. 131). «Sicut apparatus et comitatus, quo legatus regius venit ad Pontificem, ostendit illum esse legatum regium, et quidem quando loquitur, ego iudico eum loqui ex parte sui regis non quidem propter auctoritatem famulorum, qui ipsum comitantur sistendo in ipsis, sed quia ex terminis constat mihi, orationem cum tanto apparatu et talibus circumstantiis factam, esse orationem legati regii et non privati hominis: sic etiam ex terminis non quidem evidenter, sed obscure apparet doctrinam, quae mihi cum tantis miraculis et cum tanto apparatu proponitur, proponi quidem non auctoritate privata, sed divina: itaque non credo hoc propter testimonium hominum proponentium, sed quia est legatio divina, quam componunt etiam partialiter in ratione legationis ipsa miracula et reliquis apparatus famulorum et circumstantiarum, quae integrant hanc propositionem, quae mihi proponitur mysterium credendum.»

q. 4, a. 2, n. 8) eam dicit communissimam thomistarum et doctorum Societatis. P. Ripalda, licet contrarius, fatetur eandem jam fere omnes docere. Eandem et nos existimamus probabiliorum cum communiore doctorum, pro qua:

III. Ultimum motivum fidei illud esse in quo credens sistit, ita ut interroganti cur credis, nullum aliud det motivum intra lineam fidei. Dico intra lineam fidei, quia habitus vel actus non est extra suam lineam efferendus, nec ipsi aliquid assignandum pro resolutione ipsius ejus lineam praetergrediens. Patet in charitate, quae resolvitur in bonitatem Dei et non in cognitionem requisitam ad amandum, quia haec solum est conditio seu applicatio objectiva bonitatis Dei, ut haec ab habitu charitatis attingatur. Similes applicationes dari possunt in habitibus et actibus intellectus, ut exemplo declarat P. Gormaz (1): «Intrat v. g. homo doctus in officinam bibliopolae: legit aliquem librum cujus auctorem ignorat, sive quia titulus deest, sive quacumque de causa: placent quae ibi legit de variis theologicis rebus: quaerit igitur bibliopolam, hominem non alia scientia quam superficiali librorum notitia instructum, seu qui sciat quidem quales auctores in officina adsint, et quomodo nominentur; de caetero autem nec theologus, nec philosophus sit, ab hoc audit auctorem libri illius esse S. Augustinum; tunc enim vero statim firmiter adhuc adhaeret lectis quam antea: non tamen propter auctoritatem bibliopolae, cujus auctoritas in rebus theologicis nulla est; sed tantum propter auctoritatem S. Augustini ei applicatam per dictum bibliopolae.» Unde sicut quaerere ab illo homine docto, quo pacto se sciat legere librum S. Augustini, esset quaerere aliquid, quod non contineretur intra lineam motivorum propter quae adhaeret rebus a S. Augustino dictis, ita aliquid simile potest evenire in resolutione fidei, ut ex dicendis patebit.

IV. Duobus modis potest Deus revelare se aliquid dicere: in actu signato cum expresse se aliquid revelare dicit, ut frequenter accidit in sacra Scriptura cum saepe habet: *Haec dicit Dominus*. In actu exercito cum revelat v. g. incarnationem, quin dicat se illam revelare, tunc enim quasi per intrinsecam reflexionem actus supra se ipsum revelans incarnationem revelat se eam revelare, sicut eodem actu, quo Deus scit aliquid, necessario intelligit se scire.

V. Hac exercita revelatione posse credi revelata esse mysteria fidei breviter probat Platelli (2): a) Quia est de fide Deum re-

(1) Apud Mayr (tract. 7, d. 2, q. 4, a. 1). — (2) Hic auctor clare et dilucide, quantum materia patitur, praesentem quaestionem versavit in sua Synopsi, (de fide, nn. 18, 29), quare eum omnino sequemur et transcribemus.



velasse omnia mysteria fidei, quae de facto revelavit, etsi ex iis plurima non sint expresse reflexe revelata; aequè enim esset haereticus, qui de quocumque mysterio negaret esse revelatum a Deo, quam qui negaret ipsum mysterium. b) Quia quando Deus nobis revelat aliquod mysterium, utitur loquutione externa ex intentione nobis revelandi illud et simul testandi se illud nobis revelare, cum per eam intendat nos obligare ad credendum utrumque et mysterium et revelationem fide divina, non secus ut declarat Conink (1), ac quando Petrus v. gr. mihi dicit: «Joannes est mortuus,» qui non solum mihi significare vult Joannem esse mortuum, sed etiam se judicare hoc ita esse, seque velle mihi indicare, atque adeo se id de facto facere; hinc facerem eum mendacem non solum si negarem Joannem esse mortuum, sed etiam si dicerem eum hoc non scire, aut contrarium in animo judicare, aut non intendere mihi hoc indicare, sed solum fingere. c) Ex quibus deduces ipsam veracitatem Dei, infallibilitatem, verbo, ejus auctoritatem in attestando summam posse credi fide divina licet non esset explicite in actu signato revelata, imo de facto id evenire asserendum videtur pro plurimis fidelium, qui ut rudiores eam non agnoscunt actu certo naturali per medium evidens, nec supernaturali a fide distincto. Parata viâ, veniamus ad probationes.

50. Prob. 1.<sup>o</sup> In genere loquendo objectum formale non potest movere ad assentiendum materiali, nisi ut prius saltem ratione cognitum; ergo non potest movere ad assensum certum, nisi ut praecognitum assensu certo, ut omnes fateri et concedere debent. Unde hanc communem doctrinam applicando objecto formali fidei deduco: ergo objectum formale fidei non potest movere ad assensum super omnia certum, ut est assensus fidei juxta omnes, nisi ut praecognitum assensu etiam super omnia certo. Sed assensus super omnia certus ex parte motivi, non datur in viatoribus ordinariè nisi per ipsam fidem. Ergo objectum formale fidei, divina auctoritas et revelatio, ipsâ fide sunt praecognoscenda ut moveant ad certissimum fidei assensum.

2.<sup>o</sup> Objectum formale eatenus movere potest ad assentiendum objecto materiali, quatenus cognoscitur connexum cum ejus veritate: ergo objectum formale fidei non potest movere ad assentiendum objecto materiali assensu appetitativo certissimo, ut est assensus fidei, nisi cognoscatur connexum cum ejus veritate assensu pariter appetitativo certissimo; ergo nisi per assensum fidei, qui unice est in hac vita appetitativo certissimus, cognoscatur testimonium infallibile Dei summe veracis, hoc testimonium non pot-

(1) D. 9, de objecto fid. dub. 5, n. 57.

erit tantam quantam assensus fidei exigit, praestare seu fundare certitudinem. Confirm. a) In discursu formali assensus consequentis non potest esse certior assensu principii; ergo nec in virtuali seu resolutione objecti materialis in formale, v. gr. credis Incarnationem, quia Deus infallibilis et summe verax eam revelavit, non poteris majori assensu adhaerere Incarnationi quam illo, quo adhaereas Deo Incarnationem testificantem. b) Major certitudo non potest proxime fundari in minori. c) Objectum formale amoris efficacis aut super omnia, non potest movere nisi ut prius saltem ratione amatum efficaciter, aut super omnia: ergo a pari objectum formale assensus super omnia, etc.

51. **Corollarium.** Ergo intra fidei lineam, ultima fidei resolutio debet fieri in summam Dei auctoritatem et revelationem prout revelatione exercita se manifestant.

Ratio est, quia ut ex thesi constat, auctoritas Dei et revelatio solum fide divina cognitae possunt esse motivum certitudini fidei proportionatum; ergo quaerenti intra ambitum fidei, cur certissime fide tenes: «Verbum caro factum esse,» non aliud potest dari responsum nisi quia Deus summe sapiens et verax illud revelavit; sicut interroganti, cur Deum amas super omnia, solum respondetur intra lineam charitatis, quia Deus est infinite bonus et summe amabilis.

Auctoritatem autem Dei et revelationem deberi credi fide exercita in hac sententia, patet, quia aliter daretur circulus vitiosus seu processus in infinitum.

52. Obj. 1.<sup>o</sup> Cum Lugone, si credo Incarnationem propter auctoritatem Dei revelantis, et hanc auctoritatem Dei revelantis iterum propter auctoritatem Dei revelantis, necessaria erit alia revelatio ad credendam auctoritatem Dei revelantis sicut requiritur revelatio specialis ad credendam Incarnationem, et ita porro in infinitum. Ergo assensus fidei nequit sistere in suo objecto formali solum fide credito.

Resp. 1.<sup>o</sup> Cum Valentia (1): «non esse opus, ut in universum omne objectum, cui fides assentitur, sit revelatum: sed satis esse, ut sit vel revelatum, vel ipsa revelatio: sicut non est necesse ut omne objectum in quod potentia visiva fertur, sit lucidum, sed satis esse ut sit lucidum vel ipsa lux, quam etiam videmus. Ac suaderi etiam potest hoc ex ipsa natura rationis *sub qua*, sive fundamenti assensus. Habet enim illa ut sit veluti quaedam regula potentiae vel habitus: regulam autem non oportet attingere ut regu-

(1) Vol. 3, D. 3, q. 1, p. 1, diffic. 8.